

instructa, cui parvulum appendi pondus C queat, æquipol-  
 lens parti quartæ unius drachmæ, Gallis *un denier*, Germanis  
 ein Pfennig = Gewicht / appellatæ. Hæc phiala, intus, uti  
 nostra, plumbeis granulis, aut limaturâ ferreâ, aut cerâ fusâ,  
 aut argento vivo sic oneretur, ut aggravata porrò unco suo  
 argenteo C, supernatet tamen omnibus liquoribus quorum  
 pondus examinare fert animus, nec in ullo submergatur pe-  
 nitus. Sic parata & supernè ad F hermeticè figillata libretur  
 exactè, sed sine suo superpondio, ad bilancem, ejusque pon-  
 dus reducatur ad grana vel etiam ad partes sexagesimas unius  
 grani, harumque numerus adnotetur sedulò ut in memori-  
 am facilè revocari queat. Deinde, præter uncum argente-  
 um C, parati sunt annelli pariter argentei, quales hîc serie  
 triplici N, P, Q, exhibentur, & ejus, quod singulis adscriptum  
 est, ponderis. Denique forcipulâ, pro annellis facilè arripi-  
 endis opus est, qualis hîc ad L depicta cernitur. Addit *Mon-*  
*conysius* capsularum quoque formam, pro asservandis com-  
 modè tum phialâ ipsâ & forcipulis, tum verò maximè pro  
 pondusculis memoratis in loculamenta sua distributis, (quo-  
 rum plura quippe in singulis generibus requiruntur) ut  
 promptè haberi & usui accommodari queant: sed hæc, quia  
 accidentaria sunt, cujusvis dexteritati relinquemus, quæ facilè  
 commodiorem etiam ipsâ illâ à Monconysio præscripta ad-  
 inveniet.

IX. Usus interim instrumenti in examinandis liquo-  
 rum ponderibus in hoc consistit: Appenso unco argenteo  
 C, qui phialam erectam sustentet, demittatur ea in liquorem  
 ponderandum, hætenus ei supernatans. Deinde forcipulâ  
 L arrepti annelli argentei ex suis loculamentis collo F D fo-  
 rinsecus immittantur tot numero, ex majorum primò dein  
 ex minorum generibus, donec phiala tota præcisèmersa sit:  
 quo factò, in unam summam colligantur pondera tum ipsius  
 phialæ tum unci C & annulorum omnium ex collo suspen-  
 sorum; quæ summa adæquabit pondus tantæ partis ex illo  
 liquore,